Q. D. B. V!

Principium Moſel-lae Auſonii

AD DISPVTANDVM

PVBLICE PROPOSITVM

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE

SCHVRZFLEISCHIO,

HISTORIARVM PROF. PVBL.

RESPONDENTE

M. GODEFRIDO KVPFENDER

OLSNA-SILESIO.

ANNO cIↃ IↃcLXXIV.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Diſputatio IX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↃ IↃc XCIIX.

I.

COgitanti Alſatiae origines occurrit Auſonius, * cuius et iucundiſſima cum Imperatore Gratiano conſvetudo, et regionum, qvae inter Rhenum Moſamqve interiacent, multo ſtudio comparata notitia fuit. Qvi poemate condendo, qvod Moſellam inſcripſit, non tantum effinxit atqve imitatus eſt ſcriptores optimos, ſed etiam hiſtoriae ſcribendae cumprimis dignitatem attulit, et qvoad ego inveſtigare potui, primus ex omnibus fuit, qvi obita Alſatiae itinera, et principis in ea regione vrbis *nova moenia* poſteritati commendavit.

II. Eqvidem vivo adhuc Valentiniano, huius nominis primo, qvi eum regendis Gratiani filii ſtudiis acciverat, et poſtea Galliae Belgicae praefectum impoſuerat, a Trebоccis in Treviros profectus, Alſatiam tranſiit, et poſtqvam Argentoratum, regionis caput muro circundatum primo vidit, primis verſibus, qvibus Moſellam auſpicatus eſt, hoc veluti monumento eius ſuſcepti itineris memoriam conſervavit.

III. Qvae res cauſaqve tam plane eſt, ut niſi iam illuſtrandi Auſonii data mihi occaſio fuiſſet, iſto ſane inſtituto prorſus ac merito ſuperſedere poſſem. Verum qvia hoc negotium eſt eiusmodi, ut dignum uſu tractationeqve videatur, rationem inibo, qvemadmodum Auſonio pariter auctoritas, et ſermoni meo fides concilietur.

 IV. Sed

* *Diverſus ab Auſonio Sophiſta, cuius Suidas meminit. Noſtri ſimilis, aut ſaltem pangendi carminis felicitate non inferior fuit Laelius Capilupus Mantuanus, de qvo eſt apud Thuan. hiſt. lib. XXVI. Auſonio, qvi Hiſpaniae fines ſeditioſis conſiliis turbavit, nomen hoc loco alienum eſſe, per ſe eſt manifeſtum, de qvo vid. Adelmus Benedictinus A. 826. 827.*

IV. Sed priusqvam eo labore, ſine qvo omnis diliſgentia ſupervacanea futura eſt, defungamur, finium, qvibus Alſatia ſeparatur, certa eſſe conſtituta ratio debet, cum ut regnorum *Auſtraſiae Burgundiaeqve* portiones ne confundantur, tum ut *Alemanniae* ſaepe in dubium vocatus limes qvodammodo intelligatur.

V. Qvod ubi facturum me recepi, initium ordiar a Comitatu *Pfuretarum*, cuius in multis et pervetuſtis monumentis mentio fit, cuiusqve certo fundamento nixum ius eſt, qvem Auſtraſiae non recte annumeraveris, nec iure Alſatiae membrum dixeris, propterea qvod ex diverſa cauſa acqviſitus eſt, atqve adeo ratione primi acqvirentis diſpari modo iureqve continetur; Rauracorum qvippe portio, et in fines Antiſtitis Baſileenſis, veri atqve indubitati Germaniae Principis deſcripta, eiusqve beneficio diu et pacate ab Auſtriis, et ante hos a Comitibus *Pfuretarum* poſſeſſa, qvod codicillis publica fide firmatis, in qvibus haec ſeqventia anno M. CCLXXI. ſcripta ſunt, doceamus. *Vlricus Comes Pfuretarum: * Noverint tam praeſentes, qvam poſteri, qvod nos Domino noſtro Henrico Epiſcopo Baſilienſi:*** (Baſileae primus meminit Amm. Marcellinus lib. XXX. qvam Ptolomaeus Auguſtam Rauracorum appellavit l. 2. cap. 9.) *nomine Eccleſiae ſuae, a qva una cum progenitoribus noſtris nos multis beneficiis, feudis et aliis plurimis utilitatibus ſublimatos *** recognoſcimus, et multipliciter honoratos, caſtrum et oppidum de Pfureto, etc. per manum et conſenſum Theobaldi filii noſtri vendidimus, tradidimus, et in vacuam poſſeſſionem miſimus, recipientes tam nos, qvam idem Theobaldus filius noſter, omnia praeſcripta in feudum ſeu beneficium, a dicto noſtro Domino Epiſcopo Baſilienſi, nomine Eccleſiae ſuae, praſtito ſibi a nobis fidelitatis corporaliter ſacramento, etc.*

VI. Vn-

*** Baſilienſi pro Baſileenſi. in diplomatis eius ſeculi, Chronico Colmarienſi, et Alberto Argentinenſi legitur.*

**** id eſt, auctos ornatosqve, atq; una in meliorem altioremq; ſtatum evectos, ut hac notione perfreqventer occurrit in tabulis Carolovingicis. In ſeqviorum temporum monumentis occurrũt formulae beneficiare, in beneficiare, infeodare, iure feodali competere.*

** al. Ferretarum, vulgo ditioni Sundgoviae annumeratorum. In Chron. Colmarienſi part. alt. p. 51. Phirretae dicuntur.*

VI. Vnde iure optimo exiſtimare liceat, Rauracos, qvi ſitus ratione ad Burgundiam pertinent, *Pfuretas* lege beneficiaria ſibi obnoxios habuiſſe, et a multis inde ſeculis in ditione imperioqve retinuiſſe, qvod non fingimus temere, ſed ratione uſuqve annalium comprobamus, adeo ut rerum converſio Alſaticarum Comitatus *Pfuretarum* dignitati atqve iuri ſeparato derogare non potuerit, ſi Domus Auſtria pacis firmandae remedium omittere voluiſſet, qvae cum propter conſolidanda Germaniae vulnera iure ſuo cederet, tum Rauracorum Antiſtiti id grave, permoleſtumqve eſt viſum, qvod in actorum publicorum commentarios retulit Michael Caſpar Lundorpius.

VII. Id vero aliunde perſpectum eſt ſatis atqve cognitum, Baſileam Rauracorum caput ac veterem ſedem ambitu Burgundiae comprehendi, et ab Alſatia Sundgoviaqve ſecerni, in qva re praeterqvam qvod ſcriptores graves mihi aſſentiuntur, VVippo qvoqve eruditione ac ſacerdotii gravitate eximius vir, et dum in vivis eſſet, Conrado Saliqvo a ſacris, firma conſtantiqve ſententia ſuffragatur. *Baſilea*, inqvit, *civitas ſita eſt in qvodam triviali confinio, id eſt, Burgundiae, Alemanniae et Franciae: ipſa vero civitas ad Burgundiam pertinet, p. 431. edit. Piſtorianae.* Qvae cauſa eſt, qvod Adelmus Burgundiam *Alemanniae conterminam* ſcripſit, *A.* DCCC XXIII. De Vngarorum ex Alſatia in proximam Burgundiam tranſitu, irruptioneqve vid. *Ekkardus iunior cap. 5.*

VIII. De Alemannia longum eſt dicere, praecipue ſi qvibus illa ſpatiis contineatur, qvibuscunqve finibus ab unaqvaqve vicinarum regionum diſtet, commemorare inſtituam, cum qvod eius populi ſemper incertae ſedes variaeqve migrationes fuerunt, tum qvia tot acceſſiones deminutionesqve finium ibi factae ſunt, ut vix in Alemannia reperiri poſſe Alemanniam, multi nec ineruditi viri arbitren-

tur. *a* Sed omittam in praeſens vetus Alemanniae regnum * qvippe exhauſtum bellis olim atqve penitus everſum: tantum de Sveviae ducatu, in qvantum Alemanniae ** nomine inſignitur, addam, ſaepe de eius limite acriter qvoqve eſſe diſceptatum, Alſatiaene an Alemanniae, an Rauratiae pars haberi debeat. *** Primum Habsburgii, alterum Zaringii, poſtremum Epiſcopi Baſileenſes omni contentione animi propugnarunt, qvod praecautum proviſumqve a Gallis eſt, qvando de Alſatia in ſatisfactionem ſibi dandam cum Ferdinando III. paciſcebantur. Etenim ut maxime videri poſſet, Breſacum inter avitas patrimonii Habsburgii acceſſiones numeratum, Alſatiae ſuperioris antiqviſſimam eſſe portionem: tamen ut omnem dubitandi occaſionem praeciderent, certumqve ius conſtituerent, qvippe non obliti, propter mutatum Rheni alveum *b* eius ore limitem haud ſeptum ſatis munitumqve fuiſſe: convenit, ut diſerte et ſeparatim in ceſſionis inſtrumento exprimeretur, *c* ſiqvidem fraudi eſſe poſſet, ſi ſub nomine tituloqve Alſatiae una eius facta abalienatio intelligeretur: propterea qvod in ceſſionum inſtrumentis per ſtrictas interpretandi rationes minime talis ceſſio admitti poſſet, qva pro coniunctis haberentur, qvae revera ſeparata diſſimiliaqve eſſent. Cuiusmodi eſt controverſia, qvae nuper Gallos inter Hiſpanosqve orta, **** uſ-

a Gaſp. Barthius in Guil. Britonem lib. 1. Philipp. p. 36. ſingularem librum de eo argumento promiſit Melchior Goldaſtus, qvem omnino deſideramus.

b V. I. G. Kieſſer de Domo Auſtr. qvaeſt. 26.

c Inſt. Pac. Monaſter. §. Tertio imperator.

* *Deſtructum atqve in provinciam redactum eſt a Clodovaeo Francorum rege. Gr. Turon. l. 2. cap. 30. conf. Cruſ. part. 1. annal. Svev. l. 8. cap. 9.*

** *Otto Friſing. lib. 1. cap. 8. Valafridus Strabo de Vita B. Galli in prologo.*

*** *Seb. Munſt. Coſmog. l. 3. cap. 57. Chr. Urſtiſius Baſil. Chron. lib. 2. cap. 20.*

**** *Pax Aqvisgranenſis §. 2. 3. cuius occaſione lis coepta eſt de* dependentiis, *ut vocant, caſtrorum Conde, Lincke, non ſecus atqve anno 1658. ſuper inſula Huena inter Danos Svedosqve in pari* dependentiae *argumento controvertebatur.*

uſqve ad hodiernum diem ducitur, qvanqvam melior eſt cauſa Hiſpanorum, non incerto, neqve fallaci fundamento innixorum, qvod apud omnes gentes haec interpretandi ratio recepta ſit, ut *generali ſermone intelligatur, qvod expreſſe ſpeciatimqve eſt nominandum, praeſertim in alienationibus, alioqvi odioſis, et ſtricte explicandis.* Neqve id non valet in donationibus, ut recte ab Hugone Grotio traditum eſt lib. II. *de iure belli et pacis cap. XVI. n 3.*

IX. At qvia haec uberius tractare non vacat, nunc danda mihi opera eſt, ut veteres Alſatiae res paulo ab ſuis principiis repetam, et priusqvam ad reliqva progrediar, admoneam, pervetuſto *pagi Eliſatii* nomine in priſcis Francorum monumentis celebrari. In ſupremis Karoli M. tabulis appellatione Auſtriae includitur, qvia exploratum eſt Auſtraſiam, cuius Alſatia pars eſt, antiqvitus dictam eſſe Auſtriam, *apud Fredegarium cap. 100. Aimoinum lib. 4. c. II.* Neqve eſt, ut praetereamus, titulo comitatus auctam, ſigillatim nominari, cuius rei cum multa documenta ſint, tum explicate abundanterqve conſtat ex *tabula pacti diviſionis, inter Karolum et Hludovicum anno DCCCLXX. initi, apud Petr. Pithoeum p. 489. Frodoardo, uno inter aeqvales ſuos fide auctoritateqve maxime ſpectato, ad A. DCCCC XXXIX. Aimoino lib. V. cap. XXV.* Qvae teſtimonia qvin rata firmaqve ſint, nullus dubito, et opportune nunc recordor, Hludovico Pio *in Aliſatiam profecto* res haud feliciter cecidiſſe, propterea qvod ibi ſplendor atqve maieſtas eius valde imminuta, et magna ipſius beneficia maioribus maleficiis compenſata ſunt, usqve eo ut loco dimotus, velut ſupplex miſerationeqve plenus, proſtratae imperii auctoritatis exemplum eſſet, *annal. Franc A. DCCC XXXIII.* In diplomate Trudbertino, qvod auctoritate Arnulphi imp. corroboratum eſt,

Alſa-

Alſatia, qvae tunc ſine dubio in Comitatum deſcripta erat, ſine adiectione nominatur. *

\' Nithardus l. 3. Eliſazam nominat, in qϐa Tabernas per Zabarnā deſignat.

X. A Francorum monumentis diſcedenti venit in mentem Everhardi, minime dubii et qvem certis argumentis explorati Alſatiae Comitis, *Chronica Auſtralis*, qvae dicitur, hoc nomine tituloqve appellavit, ut ab Everardo Francorum caute diſtingvatur, A. DCCCC XXXIX. Qvod tamen non eo pertinet, ut negemus, Alſatiam aliqvando in ditione poteſtateqve Ducum fuiſſe, ſed ut intervalla temporum perſonarumqve recte partiamur, qvi alioqvi multis rationibus documentisqve confectum habeamus, fuiſſe tempus, qvum Alſatia poſt Comites etiam Ducibus pareret. Illudqve cur dignum cenſeamus, ut commemoretur, praecipue effecit Detmarus Merſeburgenſis, qvi libro qvinto haec ſcribit. *Dux autem ut audivit ſua a rege praedata, nondum volens humiliari, ſed, proh dolor, contra dominium et regem exaltans ſe, caput ducatus ſui Argentinam, qvae Strasburg dicitur, ** qvia Epiſcopus eiusdem urbis VVicelinus ſibi reſiſtere praeſumſit, cum Conrado ſuimet genero, milite petit armato, murosqve aſcendens, nil victis reliqvit.*

*** Amm. Marcellino Argentoratus l. 15. in diplomatis Francorum Strazburgus, ſiϐe Strasburg annal. Fr. Pith. A. 842. Strasburgenſis urbs Regin. A. 805. Argentaria apud Nithardum l. 3. Argentinam interpretatur Aimoinus lib. 5. cap. 25. Nunqϐam Epiſcopos dominos habuit, ſed ab imperatoribus et regibus, qϐondam per Adϐocatos regebatur, qϐi non ſunt confundendi cum advocatis generalibus, ſiϐe imperialibus, multo minus cum Adϐocatis Alſatiae proϐincialibus: ſed adϐocatia Vrbis Argentoratenſis dudum deſiit: alius generis eſt X. Alſatiae ciϐitatum, de qϐibus ϐid. inſtr. pac. Monaſt. §. itemqϐe dictus.*

XI. Ceteroqvin dum ſub iurisdictione comitum regebatur, ſaepe in antiqvis ac luculentis tabulis ſine adiectione

** Aliſontia, cuius meminit Auſonius, Moſell. 371. non regionis, ſed fluvii nomen eſt, qvi qvarto ſupra Confluentiam lapide ſe in Moſellam exonerat, diverſus ab eo, qvi in ducatu Luzenburgico, Surae fl. iungitur: neqve cum Alva, ſive Albe, qvem Moſella in regione Trericorum excipit, confundendus. Ab eo dictus videtur pagus* Alſenzgoνve, *fama huius nominis vetuſtateqve inclutus, V. Freherus in Moſell. h. l.*

ac *Eliſatium* nominatur, cuiusmodi eſt, qvod *anno D CCCC LXIIX.* ſcriptis mandavit Otto I. imperator, et vindicata Auſtraſia non magis de Alſatia, qvae illius pars eſt, qvam de Germania, ad cuius ditionem utraqve pertinet, meritus. *V. Orig. Palat. Freb. part. 2. p. 82.*

XII. Qvapropter non ferunt noſtrae rationes, ut iis aſſentiamur, qvi Alſatiam, qvam Auſtraſia inde ab anno D CCCXLII. concludit atqve comprehendit, Ducatus Alemanniae ditione circumſcriptam, incertas fabuloſasqve origines ſecuti putant. Vtcunqve enim aliqvando Principum Alemanniae fortunam ſecuta fuerit, et ſtatum famamqve eorum auxerit, non tamen propterea ipſis obvenit ex eadem cauſa, qva ducatus Alemanniae: multumqve abeſt, qvo minus Alemanniae nomine proprio atqve uſu ſermoneqve hiſtoricorum recepto Alſatia contineatur. * In qvo negotio ut deſeramus *Gaſparem Bruſchium*, virum alioqvi in omnibus notitiae Germanicae partibus verſatum, etſi pleraeqve eius ſententiae iudiciaqve a rebus, qvas pertractat, diſſentiunt, neqve ab exqviſita ratione diſciplinaqve civili ſemper proficiſcuntur.

XIII. Inſeqventi tempore nomen *ducatus* cum nomine dignitateqve L*andgraviatus* commutatum eſt, qvod cum inſpectis ſeculi XII. tabulis notiſſimum ſit, tum certa compertaqve documenta proferre poſſum, ex qvibus intelligitur, Habsburgios vergente hoc ſeculo acceſſione tituli Landgraviatus Alſatiae famam exiſtimationemqve ſuam amplificaſſe. Excepto qvòd de primo eius ſumti tituli initio difficultas nonnulla ſupereſt, neqve inter ſcriptores, in qvorum aeqvali continuataqve diligentia plurimum deſidero, convenit, qvis tandem ille ſit, cui haec primordia accepta referantur. Ego ſtudii odiiqve cauſas procul habens, Guntramno diviti, Habsburgiorum conditori, * hereditate comitatus Vindoniſſae aucto, novisqve bonis fulto, multum ex ea re

* *Alioqvi non modo abuſive multi notione Alemanniae, ſed etiam Alſatiae utuntur; ut qvando Henricus Stero Vrbem Nemetum Alſatiae civitatem vocat, A. M.CCXCI.*

* *Guntramnus ab Erchinoaldo, ultimo huius gentis ſtipite deſcendit a qvo dicitur linea Erchinoaldina, unde oriundi ſunt Habsburgi, cui vetuſtate reſpondet Arnulphina, a qva oriuntur Carolingi. Infra vetuſtatem utriusqve eſt linea Capetingica.*

dignitatis potentiaeqve acceſſiſſe fateor, ſed primum fuiſſe, qvi Landgravii Alſatiae titulo uteretur, adeò non compertum habeo, ut qvoqve firmis argumentis contrarium demonſtrare poſſim. Eqvidem regnante Ottone I. cui ſuppar Guntramnus fuit, nullum vel veſtigium *Landgraviatus Alſatiae* definite ſic appellati invenias, ſive diplomata, ſive *chartas*, ſive omnes, qvotqvot incorrupti etiamnum durant, commentarios evolvas. De cetero Guntramnus in vivis eſſe deſiit anno DCCCXLVI.* qvo nec dum Otto I. Romanorum imperator fuit, nec Romanorum imperatoris titulum ſumſit neqve ante annum DCCCCLXII. ſumere ulla iuris ſpecie potuit, aut voluit. Atqvi ſub id tempus vel Alſatia ſine adiecto comitatus ** nomine, vel duntaxat Comitatus dicebatur.

** V. Genealogia Guntramni a Guillimanno collecta, et Chronico Conſtantienſi a Io. Piſtorio inſerta p. 678 ſeq.*

XIV. Iam Guntramnus ex tanta tamqve praeclara hereditate inſignem utilitatem, qvae haud parvum firmandae eius ſucceſſorum potentiae inſtrumentum fuit, conſecutus, ſumendi *Comitis Alſatiae* tituli facultatem habebat. Verùm id parco titulorum aevo ſive ob moderationem tempori convenientem, ſive ob vitandas forte aemulationes contentionesqve multo poſt uſu venit, primusqve cœpti huius inſtituti annus MCLXXXVI. illuſtre atqve ad poſteros inſigne documentum attulit, excitato ſane ad augendam familiae gloriam Adelberto, ut iure auctoritateqve ſua fretus *Landgravii Alſatiae* titulum auſpicatiſſimè ante omnes alios uſurparet. Qvod nec inficiari auſus eſt David Blondellus, * vir omnis qvidem antiqvitatis ſcientiſſimus, ſed Gallici nominis caritate in contrariam ſaepe ſententiam abreptus, ut non tam veritatis qvàm aemulationis cauſa certa qvaedam et firmis monumentis rationibusqve conſtituta hiſtoriae civilis capita

** In praefat. Apologet. contra Alſatiam vindicatam Ioannis Iacobi Chiffletii.*

pita

*** Non eqvidem me latet, ſeqvioribus temporibus Comitis nomine ſine adjectione poſito intelligi interdum Comitem provincialem, apud Monachum Lauterburgenſem, ad A. 1130. ſed id non eſt ex uſu Ottoniani avi.*

pita in dubium vocaverit, et inde etiam laudem captaverit, ubi ſpem occaſionemqve haberet diſplicendi Auſtriis, et detrahendi de gloria imperii Romanorum.

XV. Is ab animo partium ſtudio impedito impetrare non potuit, ut Alſatiam in rebus ad patrimonium Habsburgicum pertinentibus numeraret. Cuius ratio qvalis ſit, verba ſubiecta oſtendent, qvibus oppugnat noſtram ſententiam. *Duo tamen*, inqvit, *hoc loco notaverim*, *eorum* (Habsburgi Comitum) *Landgraviatum patrimoniale dominium non fuiſſe, qvandoqvidem principalis eorum titulus fuit Comitatus Habsburgi, acceſſorius verò Landgraviatus, qvem priori ipſimet ſubjungunt.* Sed dum ita ſtatuit, neqve colligit recte, neqve judicat ſincere, propterea qvod ſtructura titulorum ad libera gentium inſtituta pertinet, qvam cum Habsburgii, antiqviſſimi totius Germaniae Comites, arbitratu ſuo qvondam adornarunt, tum honori ſuae gentis, non fraudi eſſe voluerunt. Etenim eo tempore, qvo Primum aſciverunt ſibi Landgraviatus Alſatiae titulum, ipſis fuit integrum, praeponere eum, aut poſtponere, qvem tamen perpetuo uſu ſummoqve conſenſu titulo comitatus Habsburgici poſtpoſuerunt. Qvod qvamobrem factum ſit, exiſtimo non aliam ſubeſſe rationem, qvam qvod *Landgraviatus* Alſatiae definito hoc principalis dignitatis nomine *charactereqve* ſumtus, ad patrimonium Comitatus Habsburgici iam diu ante conſtituti adiunctus, atqve ex diverſa cauſa, et longo poſt tempore acqviſitus fuit. Proinde ad acqvirendi ordinem temporisqve notationem ſpectat, qvod Landgraviatus Alſatiae iam antiqviſſimo inde more inſtitutoqve titulo Comitatus Habsburgici ſubiungitur. Non ſecus atqve apud ceteros Germanos ſolet, qvod vel exemplis *Ducatus* Saxoniae, et *Marchionatus* Brandenburgici declaremus. Vtrisqve enim poſtponuntur nomina *dignitatum officialium imperii atqve electoratuum*, nec propterea tamen haec illis inferiora ſunt, aut pro acceſſionibus,

 ut

ut loqvuntur, ***non patrimonialibus*** horum principum Electorum habentur. Idqve tam multis ac veris indiciis aliis mihi eſt perſpectum, ut ne qvidem dubitare liceat, illo Landgraviatus Alſatiae titulo civile imperium, ſive ut Blondellus nominat, ***patrimoniale dominium*** fuiſſe deſignatum.

XVI. Nec dum ab ea mente deſiſtit Blondellus, libenter et cupide inſtitutum perſeqvens, qvod antea neganti, nunc etiam dubitanti idoneum videtur. Qvod cuiusmodi ſit, ex ſeqventibus licet intelligamus. *Landgraviatum illum* (pergit) *nec Alſatiae totius, nec forte hereditarium fuiſſe evincit fragmentum vetus Alberto Argent. praefixum, qvo docente A. D. 1236. Henricum Comitem provincialem Alſatiae ſine herede denatum diſcimus; qvo tempore Albertus Rudolfi regis parens vivebat.* Sed fruſtra obnititur Habsburgiis, neqve ideo res Auſtria in diſcrimine eſt, qvod ſenſim auctoritate atqve opibus crevit, et diverſo tempore plures amplioresqve imperii acceſſiones habuit, et ſecundis, qvas in divinis beneficiis ponit, rebus uſa ſic ſe extulit paulatim atqve firmavit, ut magnitudine potentiae dignitatisqve in omnes orbis terrarum partes longe ac late ſe diffundat. Nam et in partitis rationibus ius ineſt, et pro certa portione etiam aliqvid recte poſſidetur, conſtatqve Auſtrios iure ſtirpis ſangvineqve ad cernendam Henrici, ultimi ex comitum Egesheimenſium propagine *Landgravii*, hereditatem proximos fuiſſe, et qvod antiqvi annales ferunt, ipſos qvoqve Egenheimenſes, qvorum caſu adverſo orbitateqve tandem deletus eſt principatus, ab ſtirpe Habsburgia deſcendiſſe, ac morte ſua Alberto Sapienti Habsburgio ius, qvod neqve vis, neqve temporum invidia eriperet, certum efficaxqve ad ſuccedendum reliqviſſe. At vero qvando familia Egesheimenſis defecerit, ſententiis rationibusqve diu eſt variatum. *

Landgraviorum Alſatiae Habsburgo-Auſtriorum ſeries atqve ſucceſſio vid. lib. 8 p. 409. ſeqq apud Lazium. Qvanqvam et ibi more ſuo fabulas admiſcuit.

XVII.

* *VVolffgangus Lazius, numerat annum M CC XXXVIII, de*

gent. migrat. lib. 3. pag. 93. Alii diverſum ſentiunt, et multum de his rationibus detrahunt, annum MCCXVIII. computantes, inter qvos nuper fuit auctor phoſphori Auſtriaci, part. 2. cap. 14. Ego iis me adiungo, qvi familiae Egesheimenſis terminum in anno MCCXXXVI. ponunt, auctoritate fragmenti veteris, qvod in aditu operis, titulo chronici Argentinenſis inſcripti eſt conſpicere, qvod cuius pretii ſit, non attinet nunc inqviri. Alioqvi multa mihi oblata ſunt diplomata, in qvibus Comites Habsburgii poſt Epiſcopos et Principes, qvin etiam poſt Kyburgenſes comites collocantur: qvod forte novum poſſet eſſe cauſae Blondellianae praeſidium, niſi mihi compertum eſſet, talia, etſi vera ceteroqvin ducenda habendaqve ſunt, non continuo valere ad aſſerendam praerogativam, ubi cauſa praerogativae non diſceptabatur. Recordor enim alias in tabulis pactorum, atqve diplomatis aliis ſaepe legiſſe eos antepoſitos, qvi in iudicio controverſiae praecedendi maxime poſtponi debuiſſent. Atqve eo allegare liceat transactiones inter Epiſcopos et Duces initas, in qvibus hos qvoqve illis praepoſitos invenias, ſalva alioqvin cuiusqve dignitate et praecedendi iure.

XVII. Haud rectius cenſeri debet, qvod Blondellus, ubi in opinionem contrariam diſceſſit, conatus eſt probare, Alſatiam non modo ſub Habsburgiis non fuiſſe hereditarium principatum, ſed ne qvidem *regni Germanici proprie dictum membrum* poſſe appellari. Qvod erroris culpa non vacat, atqve eiusmodi eſt, ut appareat, eum in hac cauſa ſincere ſcribendi vel nullam, vel ſane exiguam rationem habuiſſe: qvippe qvi neſcire non potuit, Alſatiam ab eo tempore, qvo imperium Carolinum partitis rationibus a Hludovici pii filiis poſſideri coeptum eſt, a conſociatione Gallica ſeparatum, atqve ab aevo inde antiqviſſimo ſemper atqve ſine dubitatione ditionis Germanicae fuiſſe, et lingva, moribus, inſtitutisqve ſimilibus in unam gentem nationemqve coaluiſſe, ac ſub regum Germaniae auſpicio imperioqve floruiſſe, nec non iura iuſſaqve ab iis deſcripta coluiſſe, et ſi eos minus digne reverenterqve tractaſſet, atqve ab officio diſceſſiſſet, lege imperii ad obſeqvia redactam, ſub uno Tevtonici populi nomine atqve communi iure fidem ſervaſſe.

V. Regino an. 842. 855. 869. 886 Continuator Reginonis an. 923. qvo Carolus ſimplex Alſatiā, qvae in Ludovici Germanici poſteris permanſit, ſibi deſtinavit, ſed non obtinuit, et paulo poſt ipſam qvoqve Lotharingiā vero ſuo domino Henrico Aucupi reſtituit.

 Qvi-

Qvibus indiciis atqve rationibus plane aperteqve declaratur, Alſatiam ſine contumelia Germanicae iuriſdictionis, ac ſine evidenti iniuria erga divos Caeſares regesqve a Germaniae membris proprie nominatis divelli non debuiſſe atqve ſeparari. * Qvod luculentis documentis, qvae magno numero in promtu ſunt, conficere poſſem, ſi mihi conſilium eſſet, haec longius proſeqvi, resqve amplius inſtitutum ferrent. Tantum ſufficiant, qvae in eam rem prodita ſunt a Frodoardo *Chron. an. 928. 939. 940.* VVitichindo Corbeienſi *annal. 1.* Ottone Friſingenſi *Chron. lib. 6. cap. 18. 19.* Sigeberto Gemblacenſi *an. 923.* qvi graviter atqve diligenter annotarunt, partem Lotharingiae, qvam Carolus ſimplex, extincto ſine liberis Ludovici Franco-Tevtonicae propaginis, qvae per Hludovicum Germanicum deſcendit, ultimo, regibus Germaniae, ad qvos iure pertinuit, praeripuerat, Henrico Aucupi, tanqvam legitimo et ſupremo eius domino redditam, ** ac poſt ab Ottone M. vindicatam fuiſſe. Non me piget referre Sigeberti verba, qvod non modo iis pax foedusqve, qvae pactione Bonnenſi continentur, ſed etiam ceſſio Lotharingiae una ibidem facta indicatur. *Reges Henricus* (Auceps)

** Nam ſive proxime, ſive interiecto alio aliqvid alicui ſit coniunctum ſane pars erit ſi ea coniunctione fiat, ut aliqvid totius ratione cenſeatur. Atqvi Alſatia fuit Lotharingiae tanqvam inſignioris Germaniae membri membrũ; proinde et certae rationis, et manifeſti iuris eſt, Germaniae tanqvam integri et perfecti civilis corporis membrum fuiſſe. V. infra.*

*** Per idem tempus factum eſt Bonnenſe ceſſionis inſtrumentum qvod anno D CCCC XXI. inter Carolum ſimplicem et Henricum Aucupem factum eſt, idqve reſpicit Friſing. l. 6. Chr. cap. 18. dum Belgicam, id eſt, Lotharingiam Henrico Aucupi ceſſam memorat. Primus autem inter Franciae occidentalis ſeparatae reges Carolus Calvus, diviſione alieni patrimonii, qvod mortuo ſine liberis legitimis Lothario iuniori, Ludovico II. imp. debebatur, cum Ludovico Germaniae rege, ad qvem demum extincta Lotharii ſenioris imp. propagine iure pervenire debuit, anno D CCC LXX. accepit: deinde anno DCCCCXII. mortuo Ludovico, Arnulfi filio regum Germanicorum familiae Carolinae poſtremo, Carolus ſimplex Caroli Calvi nepos Lotharingiae regnum invaſit, ac poſtea Bonnae D CCCCXXI. Henrico Aucupi, tanqvam vero et legitimo Germaniae regi, ad qvem ex cauſa primorum acqvirentium regum Germaniae iure ſane pertinebat, ſolenniter ceſſit attribuitqve.*

ceps) *et Carolus* (ſimplex) *apud Hunnam confoederantur, Carolusqve reddit Henrico regi regnum Lotharingiae, epiſcopis et comitibus utrinqve iurando rem confirmantibus.* Vnde expeditum eſt intelligere, et *foedus,* et *ceſſionem* in conventu Bonnenſi eſſe factam: deinde iſthac ceſſione Henricum qva regem Germaniae, atqve adeo poſtliminio et nomine ditionis Germanicae Lotharingiam recepiſſe. *Foedus* exprimitur in eo inſtrumento et nominatur *unanimitatis pactum, ac ſocietatis amicitia qvaeſita repertaqve. Ceſſio* ex hiſtoria colligitur atqve demonſtratur. Qvod de *confirmatione* epiſcoporum Comitumqve memorat, id recte ſibi conſtat, et ſubſcriptis eorum nominibus qvoqve comprobatur. Niſi qvod anni numerus, qvem init Sigebertus, eventis non reſpondet, qvo errore alias minime vacat, et mendum ſine dubio a librario eſt admiſſum, dum *Hunnam* (qva Vnnam Comitatus Marcani urbem denotatam eſſe, videri poſſet) ſcripſit, cum nullus eorum regum conventus, qvi qvidem apud Vnnam habitus ſit, ab ullo vero atqve antiqvo ſcriptore commemoretur, omnino autem eius apud Bonnam habiti certa atqve luculenta ſint documenta. Suffragatur Friſingenſis, et perantiqvum illud ac propter duorum regum conciliationem inſigne ad poſteros atqve fama celebratum pactum copioſius exponit, *lib.6. chron. cap.18.* Qvapropter Alſatia, omnino proprie *membri Germaniae* nomine continetur, qvia uno qvondam ſummo imperio continebatur, et qvod a tempore ultimorum Germaniae regum in Germania, tanqvam integro, ius valuit, idem in Alſatia, tanqvam membro, una gentis iurisqve ſocietate coniuncto omni ſeculorum memoria ſemper valuiſſe intelligitur, certo *membri* ſive *partis* argumento, cum, *qvod eſt pars partis, non poſſit non eſſe pars totius, et qvod iuris eſt in toto, idem eſſe in totius parte,* omni ratione, et iuris etiam praeſcriptio formulaqve videatur. Qvod ita evidens eſt atqve certum, ut Otto M. affirmaverit, *iuris*

regni

regni ſui eſſe *Eliſatium, in tabulis anno 968. confectis:* et in ordine ac numero regionum Germaniae ab Henrico Aucupe defenſarum repoſuerit Sigebertus, *an. 922.* et ipſam demum Lotharingiam *provinciam Tevtonicorum* appellaverit Friſingenſis, *lib. 6. chron. c. 19.* *

XV. Etſi vero Alſatiae ſtatus ſaepe varius fortunaqve interdum inclinata fuit, tamen ſub Germaniae regibus ſtetit ſemper atqve floruit, donec publicae qvietis cauſa regi Galliae, cui ob ſitum ac propinqvitatem utiliſſima eſt, nomine ſatisfactionis A. M DC XLIIX. traderetur, ita ut eam ſupremo iure haberet, et cum finitima Germania pacem concordiamqve coleret. Cuius rei cauſae cum fuiſſent omnino multae et graves, tum pro conditione illorum temporum hanc conciliationis rationem iniri oportuit, qvae care Auſtriis conſtitit cum qvod ea re ipſi magnam aviti patrimonii partem, tum qvod Germani, qvi Rhenum accolunt, praeſidium ſecuritatis ſuae amittebant. Qvae ceſſio Hiſpanis adeo permoleſta accidit et acerba, ut contra obteſtantes pro iure ſuo, qvippe qvod naſcendi ſorte ſangvinisqve iure acqviſitum, invitis ac nil tale meritis ſuis regibus auferri non poſſet, ſtrenue annitentur. ** Eo conſilio pacis pactionem apud VVeſtphalos factam, in qvantum in capite ceſſae Alſatiae iuri ipſorum contraria erat, omnibus modis oppugnabant, et ut recte atqve ordine hoc inprimis arduum et forenſe negotium perficeretur, cauſae defendendae partes eodem anno, qvo expetita Europae pax coaluit, *Petro VVeimio* ad conventum Monaſterienſem legato impoſuerunt, qvi publico decreto intercederet, et uſitata ritus iuridici formula praedictum ceſſae Alſatiae caput

** V. Liuthphrandus Ottoni I ſuppar, et conſiliorum eius rerumq; ſcientiſſimus. hiſt. lib 4. c. 14. ubi iuſtitiam belli Alſatici Otto verbis ipſe ſuis expoſuit ad milites. Continuator Reginonis A. 939 ubi* Briſacenſes Caſtellanos *in fidem clientelamqve Ottonis rediiſſe teſtatur. Fuit alioqvi Breſacum apud Germanos fere, qvod apud Romanos Cteſiphon, expeditionibus fatalis, et iam in Antonini itinerario memoratum nomine MONTIS BRISIACI.*

*** Ludovicus Mendez de Haro, prudentiſſimus Conſilii Hiſpanici Adminiſter, ceſſa Gallis Alſatia, Germaniam compedibus vinctam, graviter cenſuit. Sed illa ceſſio neceſſitate, qvae legem non habebat, excuſanda, neqve tamen diſſimulandus occultus erga eam metus Gallorum, inprimis qvando pacem VVeſtphalicam, qva tuto inniti poterant, nemine laeſi ruperunt, et culpa ſua ipſi ſe iurium per eam partorum ſecuritate privarunt, ſiqvidem haec talia pacta ſemper conditionem habeant capitum conventorum ab altera parte praeſtandorum: Vt ita demum in futura pace robur praeſidiumqve ſuperioris pacti ſit collocandum.*

caput iniuſte factum diceret, et cur a rege ſuo admitti non poſſet, cauſam ſolenniter indicaret. Altero poſt anno, qvam pace rebus Europae conſultum erat, *Ioannes Cuyermanns* rurſus contra obteſtandi mandatum accepit, muneris ſui non immemor, ac in tali cogitatione defixus, ut ceſſionem, qvamlibet ab ſumma poteſtate factam, reiiceret prorſus, ac publica contradictione deſtrueret, irritamqve fieri poſtularet. Hunc ſecutus eſt vir doctus, et rerum Hiſpanicarum apprime peritus *Ioannes Iacobus Chiffletius, eqves et archiater* ſui regis, qvi Hiſpanorum ius, qvod qvidem ad ipſos ratione Alſatiae et Sundgoviae pertineret, ſingulari libro, qvi *Alſatia vindicata* inſcribitur, tuendum propugnandumqve ſuſcepit: Propterea qvod id de ſententia Hiſpanorum tale eſſet, ut tranſigentium arbitrio ad inferendum domui Burgundicae damnum permitti non debuiſſet, ut qvae ibi et conſtitutum recte patrimonium, et hereditarium inſuper patrocinium antiqva et iuſta poſſeſſione firmatum obtinuiſſet. Qvae praetenſio, qvanqvam tranqvillitati publicae remitti debuit, tamen mox velut claſſicum maioris belli inter Gallos Hiſpanosqve fuit, ac diu incerta eventus expectatione omnium animos ſuſpenſos tenuit, usqve dum pace apud Pyrenaeos montes inter utrosqve reges inſtaurata, illa ſane temporum miſeria difficilis et multi ſangvinis impendio agitata controverſia, anno MDCLIX. finiretur. Iam certa tranqvillitatis in Alſatia retinendae ſpes erat, ſi neqve ulla cuiqve fieret moleſtia, neqve iniqva conditio ferretur. Sed qvia ſubinde a praefectis regis poteſtate ſua abutentibus multa ſuſcepta ſunt, qvae iuſtis de cauſis decem *imperiales* civitates recuſarent, et ut de qverimoniis ſuis cognoſceretur, impetrarent, res ea genti in dominatum incumbenti vehementer coepit eſſe ſuſpecta. Nihilo ſecius Germaniae grave erat hoc diſſidium, ut qvae maxime vellet cuperetqve ſervari pacem, et nil minus optaret, qvam dari ſibi cauſam, qva ad bellum excitari poſſet. Idcirco rex ſubinde monitus rogatusqve eſt, ne pateretur prae-

Extat apud Chiffletium in Alſat. vind. cap. 12. unde repetit Limnaeus annot. ad capitul. Leopold. pag. 903. ſeqq.

** Dier. Europ. ad A. 1658. d. 25. Octobr. ſubmiſſa proteſtatio contra Edictum pro novo Alſatiae Parlamento A. 1657. in urbe Metenſi promulgatum ibidem: ex cod. H. Brevv. hiſt. decennal. lib. 3. p. 289. Fuit alioqvi iam olim Enſishemii ſenatus Alſatiae ab Auſtriis conſtitutus, uti Haganoae praefectorũ, ſive Advocatorum provincialium Alſatiae tribunal: eam urbem Fridericus Aenobarbus valde excoluit, et muro praealto circumdedit. Conf. Thuan. hiſt. ad A. 1552.*

fectos contra transactionem VVeſtphalicam admittere, nec ſineret, ut ceſſionis capita bona fide approbata ad alieni iuris fines porrigerentur. Atqve illuc valuit conſilium, qvod imperiales X. Alſatiae civitates, et Ordo eqveſtris anno cIↄ Iↄc LIIX. qvo Enſishemii tribunal, qvod vice regis iudicaret, inſtitutum eſt, opportune iniverunt, et per delegatos idonea iuris formula libertati privilegiisqve ſuis caverunt, adductis in eam rem argumentis, qvibus docerent, ampliorem illi tribunali poteſtatem attribui, qvam per pactum Monaſterii conventum liceret: adhaec fas aeqvumqve eſſe, ut Galliae rex in Alſatia non plura iura ſibi arrogaret, qvam domus Auſtria, in cuius locum ſucceſſiſſet, ibi qvondam habuiſſet: idqve ut fieret, cum ad firmandam pacem, tum ad iuſtitiam pertinere, nec poſſe ſe diſcedere a veſtigiis maiorum, qvi omni iure et ſemper cognitionem tribunalis provincialis defugiſſent. Nec dum vero talium diſceptationum optatus exitus fuit, ſed anno cIↄ Iↄc LXII. ſuperior controverſia cum qvadam acerbitate denuo excitata, et vis etiam libertati facta eſt, unde et turbandi eius limitis non vana ſuſpicio et periculum crevit, neqve ſic tamen omiſit Germania pro retinenda concordia anniti, et ſumma ratione ad tollendas eas lites conſilium operamqve contulit. Inde tractum diſceptando tempus, et qvia rex ſupremae praefecturae titulo, contra ius inveteratumqve morem iusiurandum talibus verbis conceptum, qvod reipſa civile obſeqvium et *ſubiectionem* denotaret, a X. illis civitatibus exigere pertendebat, magni labores imperii et arbitrorum eo delectorum ſuſceptae conſultationes impendiaqve omnia irrita fuerunt. Rex enim auctoritate ſua cupiens finire controverſiam, non paciſcendo, qvomodo cum civitatibus alienae ditioni ſubditis agi oportuit, ſed iubendo rem totam perficere ſtatuit, factusqve ab iis alienior anno praecipue cIↄ Iↄc LXX, qvo apparuit,

qvalis

qvalis animus regis eſſet, vim parantis, ſi formula, qvam praeſcripſiſſet, repudiaretur. Nec dum vero iſtius litis rationes expeditae ſunt, poſtqvam bellum Lotharingicum eodem tempore occulte atqve diſſimulanter comparatum, magnam inſeqventis converſionis ſignificationem dedit, et non dictis modo civitatibus, ſed Germaniae etiam pro finibus ſuis anxiae, et qvo iſta regis irruptio ſpectaret, ſolicitae metum intulit. Etſi vero nil omiſſum eſt cum reducendae pacis, tum reſtituendi Ducis gratia, tamen rex violati pacti cauſas deſtinatis occultioribus ſpecioſiſſime praetexens, neqve interceſſione, neqve legatione perſvaderi ac inflecti potuit. Iam utrinqve perſpici poterat, qvid ex regis finitimi actionibus ſperandum eſſet, et qvo nixa illa tantis opibus copiisqve conſilia valerent. Nec fallebantur opinione, cum anno cIↄ Iↄc LXXII. Foederati Belgii calamitate monerentur, ut nil moderatum a Gallia expectarent: qvod cum maxime ad curam Caeſaris auctoritatemqve Imperii pertineret, ſociorum Batavorum Principumqve imperii iniurias negligere non potuit, gravibusqve adeo cauſis et tempeſtivis Hiſpanorum conſiliis inductus eſt, uti pro dignitate ſua, qvam laeſiſſent Galli, et tuendis imperii iuribus, qvae immiſſo peregrino exercitu violaſſent, arma caperet, principesqve imperii, qvorum libertas petebatur, amicitia et foederibus ſibi illigaret, ac honeſtis rationibus eo adduceret, uti uno animo atqve conſilio ſecum ſtatuerent, pro imperii hoſtibus habendos, qvi imperium nulla data cauſa oppugnatum belli moleſtiis vexaſſent. Qvo turbulento Germaniae ſtatu decem illae civitates, qvibus ſub tutela regis Galliae tanqvam ſupremi earum praefecti omnino vetus libertas, conſtare debet, in multa et maiora, qvam antehac, pericula venerunt, et ſub iugo belli Gallici duriter habitae vehementerqve afflictae ſunt: unde ut expediantur, redeantqve in priſtinum ſtatum, iure armisqve eſt anniten-

 dum,

dum, et ut coepta Nimmegae diſſidentium partium conciliatio feliciter ſuccedat, ac totum qvoqve hoc negotium recte perficiatur, Germaniae refert, atqve ad officium de pace deliberantium ſpectat, et Caeſaris praecipue gloriae convenit, ut reſpublica antiqvis legibus denuo firmetur, ac iuſto bello dignam tandem ac publice utilem pacem conſeqvatur.

*Praefectura ſive Advocatia Alſatica, qvae in huius argumenti disqviſitione poſita eſt, eſt vel generalis, cuius tribunal olim Haganoae conſtitutum fuit, vel ſpecialis et definite in X. imperiales Alſatiae civitates attributa, vel ſingularis, qvae qvondam ratione Argentorati * conveniebat, et a Rudolpho Habsburgio empta, poſtea ceſſavit, qvam auctore Ruperto Palatino civitates imperiales hoc onere liberatae,* Vogtos *ſive* Advocatos *habere deſierunt. Generalis, facta etiam utriusqve Alſatiae ceſſione, ab Hiſpanis ratione Ducatus Lucemburgici praetendebatur, poſtqvam ii ſuae praetenſioni renunciarunt, pace apud montes Pyrenaeos inita* §. 61. *diu finem habuit, qvae ſaepe mutavit praefectos, et nunc Pfirtenſes nunc Lutzelburgicos, nunc Palatinos, ac demum Auſtrios habuit, cuius ratio hic non habetur, ſed eius duntaxat, qvae X. imperiales Alſatiae civitates complectitur, qvae ſalva ipſarum libertate et iure dignitateqve a ſupremo imperii dominio pendente intelligenda eſt.* Inſtrum. pac. Oſnabrug. §. itemqve dictus *Nam plurimum intereſt inter ſupremam et iure proprio ac nemini obnoxio competentem praefecturam, et inter imperium civile, ac verum ratione territorii conſideratum dominium. Illa ex pacto pacis VVeſtphalicae Galliae regi ceſſa attributaqve eſt, hoc ſeparatam habet rationem, et inter ceſſionis factae capita adeo non continetur, ut qvoqve diſerte ſeiungatur. Vnde intelligitur iniqvitas poſtulatorum Gallicorum, qvando talis iuris-*

* *Argentoratum a tempore Ottonis III. Imp. ſalvis iuribus et fidelitatis imperialis obligatione, a formula* iurisiurandi fidelitatis *Impp. praeſtandi praetendit ſe eſſe liberum, et conſvetudine perpetua hoc exemptionis privilegium, ſalva ceteroqvin obedientia erga ſupremum dominum, contra qvem praeſcriptionis praeſidium non eſſet ſaliturum, tuetur. Eo vid.* Epiſtola excuſatoria *apud Lund. l. IX. Act publ. p. 705 Diar. Europ. ad A. 1660.*

iuiurandi formula ab iis concepta eſt, ut in argumentum dominii ratione territorii competentis valeat. Etenim clare copioſeqve probari poteſt atqve confirmari, nil praeter dominium advocatiae *et* protectionis *ceſſum eſſe Gallo, propter qvod ſane nullum* ſub- ſectionis *iusiurandum debetur. Etſi enim in dicto ceſſionis capite una cohaerensqve ceſſio exprimitur, tamen una diverſus translationis titulus indicatur, neqve a ceſſione* Landvogtiae *inferendum eſt ad ceſſionem iuris* immmedietatis, *qvod dictis civitatibus ſub imperiali ſupremo dominio ſane expreſſe luculenterqve eſt reſervatum. Neqve ab hac ſententia nos dimovent literae, qvae dicuntur, paritoriae, vulgo nominatae* die Gehorſams Brieffe/ *qvippe qvae ab Auſtriis, cum in iuſta qvietaqve Landgraviatus Alſatiae poſſeſſione eſſent, non qva illarum X. urbium imperialium Advocatis, ſed qva auguſtis Caeſaribus ſcriptae ſunt atqve promulgatae. Itaqve ingrati erga imperium animi ſit, qvisqvis vim interpretationi adferat, ut praefectura provincialis fraudi ſit iuri imperiali, qvo fundatae firmataeqve ſunt hae civitates, ad qvarum tuendam qvoqve dignitatem pertinet* capitulatio Leopoldina §. 8. verſic. ſo dann die 10. vereinte Reichsſtädt/ *ubi inſtrumentum pacis Monaſt. per ſe lucis plenum declaratur iterum atqve in hanc ſententiam explicatur. Itaqve Auſtrii Ferdinandinae propaginis, Germaniqve ſteterunt conventis pace conditionibus, et maiorem in modum cupiverunt, ut rex Galliae par erga ſe ſtudium voluntatemqve declararet. Sed qvemadmodum in uſu evenerit, acta ſuperiorum temporum ſatis ſuperqve teſtantur, cum qvae ſine conditione et clauſula Ferdinando Carolo Archiduci perſolvenda pecuniae ſumma promiſſa eſſet, poſt in conditionem pacto Monaſterii VVeſtphalorum inito contrariam, atqve in ceſſionem ab Auſtriorum propagine Burgundica inſtituendam reiecerunt, neqve prius ad implendum executioniqve mandandum hoc caput, et reddendas qvatuor* civitates ſylveſtres *teneri voluerunt, qvam ſibi illo nomine plene ab Hiſpanis, a qvorum* eventuali *ceſſione pactum Monaſterienſe minime ſuſpenſum erat, ſatisfactum eſſet. Illud vero primo contigit pace apud Pyrenaeos montes facta, non ſine dolore iuſtiſſimo Archiducis, qvi ius ſuum nullo ſuo merito impeditum vere graviterqve qverebatur.* Eo videatur §. inſtrumenti

 pa

palis Monaſter. § item Rex. et §. 61. pac. Pyren. nec non confutatio qverelarum Gallicarum anno 1658. Conventui Deputator. Francofurti *ſubmiſſa, et paulo poſt in lingvam Germanicam converſa. Neqve cauſa fuit, cur obtenderetur* §. Imperator, *ubi non conditio, ſed modus deſignatur, effecturos nempe Caeſarem atqve Archiducem,* * *ut, qvantum in ipſis erat, eadem voluntate paciſcerentur Hiſpani, non ſane ut eventum, qvanqvam et hic tandem non defuit, praeſtarent, ſed ut ſtudium animumqve ſuum ad propoſitum hoc conſeqvendum ſerio inclinatum declararent, qvem profecto etiam ita declararunt, ut nullis laboribus, nullis moleſtiis atqve ſumtibus pepercerint, ſed omni ſtudio conatuqve pro hoc capite ab Hiſpanis qvoqve implendo allaborarint. Contra Galliae rex ingraveſcentibus qvotidie qverelis adeo non medicinam adhibuit, ut etiam vulnera et plagas reipublicae ſaepius inflixerit, iuraqve imperii ſuis ſane finibus conſtituta et recte confirmata infregerit, X. Alſaticas civitates oneraverit graviter atqve afflixerit, Abbatiam Monaſterienſis urbis in valle S. Gregorii, cuius coenobium et totius Alſatiae antiqviſſimum, et a Dagoberto Francorum rege conditum eſt, in parte privilegiorum turbaverit, cum Ordine eqveſtri Alſatiae durius egerit, et finitimis imperii Ordinibus multas magnasqve moleſtias exhibuerit, ac talia ſubinde agi fieriqve permiſerit, qvae pacis minime amantem indicarent. Nec nunc addam offenſiones alias ex eo natas, qvod civitates Argentoratum et Spira Nemetum multas iniurias paſſae fuerint, et licet iuris innocentiaeqve ſuae cauſas exponerent, tamen in multa pericula inciderint, et tranqvillitate, pro qva retinen-*

* *A. 1660 in ſolidum iure ſuo ceſſit Ferdinandus Carolus, et non modo Alſatiae ac Sundgoviae, ſed etiam Comitatui Pfuretarum, qui in pacto pacis Weſtphalicae non nominatur, et ut ſupra dictum, lege beneficiaria ad Antiſtitem Baſileenſem pertinuit, neceſſitate poſtulatorum Gallicorum victus renunciavit. V. Lund. l. IX. Act. publ. p. 732. ſeqq. De rumore permutandae Alſatiae, cuius titulum etiamnum uſurpant ex Auſtria Caeſares, vid. Brevv. l. 3. p. 316.*

nenda nullum alioqvi laborem recuſarunt, frui non potuerint. Neqve meliorem gratiam ceteri finitimi inierunt, neqve Baſileenſi Epiſcopo tenendae in Comitatum Pſuretarum praetenſionis cupido invidia metusqve minui prius potuit, qvam honori ſuo patientiam accommodaret, ne, ſi nihil cupiditati potentioris, cuius neqve vim, neqve conatum inhibere poſſet, remitteret, ſe ſuaqve in praeſentisſimum diſcrimen adduceret. Ab his initiis dominatio Capetina in limite noſtrae gentis crevit, et inter ſuperiora diſſidia cunctationesqve incrementa cepit, latius progreſſura, niſi prudentia auctoritasqve Caeſaris felicibus patriae auſpiciis tandem aliqvando inhibuiſſet, et L E O P O L D I *nomen Auſtriae ſemper fauſtum,* iam qvoqve Germaniae ac univerſo imperio felix fortunatumqve reddidiſſet. Cui Victori hoſtium atqve tertium Sponſo triumphos pariter atqve novas Palatinas Neoburgicas neceſſitudines, qvibus magnitudinem potentiae firmat, et praepotentes familias amicitia foedereqve coniungit, et ſe resqve ſuas animis viribusqve auget, laeti ac libentes gratulamur, precati, uti ſanctum illud foedus auſpicato ineatur, ac deinceps auguſtum decus in Filiis Nepotibusqve, qvos ſperat poſteritas, ſumma cum eius ſtirpis gloria amplificetur iuxta atqve propagetur.*

* *Id non mediocriter uſu probatum eſt a* LEOPOLDO GLORIOSO, *huius nominis in ſerie Archiducum I. tum a* LEOPOLDO PROBO, *bellicarum artium inprimis gnaro, et expertae fortitudinis, cum apud Sempachium animoſe contra Helvetios pugnans cecidiſſet: dehinc a* LEOPOLDO PVLCHRO, *qvi aliis craſſus dictus eſt, ac impetum Vngarorum, Bohemorum atqve Moravorum ſuſtinuit, et pericula maxima in conſilium vertit: poſt a* LEOPOLDO SANCTO, *qvi plus ſemel exercitum victorem reduxit, et Stephanum Vngariae regem vicit, Auſtriamqve famam factis et conſiliis munivit, a* LEOPOLDO MITI, *qvi Baioaros in poteſtatem redegit, a* LEOPOLDO *qvi virtutis elogio celebratus, Auguſtam domum novis inſignibus auxit, infideles debellavit, et Richardum Anglum imperii infulas prenſantem mox captum cuſtodia attinuit, a* LEOPOLDO *qvem honoris titulus diſtinxit, qvi Saracenos poſtravit, Damiatham expugnavit, et qvoddam belli contra barbaros fulmen fuit, a* LEOPOLDO VIII. *qvi Henricum*

VII.